

Si poteris mihi comparare virum Stockholmiæ, scilicet aut legatum vestrum aut mercatorem aliquem Gallicum aut alium quemcunque, cui possem merces meas committere, haberes a me omni anno quæ prodeunt curiosa in Sueciâ et quæcunque rariora sese hic sistant. Habito enim itinere unius diei Stockholmiâ; facile possum omnia Stockholmiam mittere, sed obtinere Stockholmiæ virum qui inquirat naves Galliam petentes, nunquam offendere potui. Cures hoc si poteris. Ingratissimus mortalium Missa abibat insalutato me hospite, adeoque nihil mittere potui.

Annon velles inserere Actis nostris figuram Loniceræ nummulariæ folio Canadensis.

Saluto amicissimam, dulcissimam nobiliorisque sexus ornamento virgini Bassaport et D<sup>nm</sup> Laserre. Vivas diu felix et sospes; te stante virebo et virebit Hortus noster academicus.

Dabam Upsaliæ d. 22 Septembr. 1749.

---

ILLUSTRISSO B. DE JUSSIEU,

BENEFACTORI SEMPER COLENDO,

S. P. D.

CAR: LINNÆUS.

INTER Botanicos nullus est quem majoris facio quam te, nullusque ad quem magis difficile est aliquid mittere. Accepi aliquot semina a D. Kalm ex Virginiâ; vellem ad te mittere, modo scirem quo pacto ut non fieret tuis impensis. An liceat ea mittere sub couvert ad Acad. Reg. Paris.? vel an sub involucrio Præfecti horti D<sup>ni</sup> Buffon? Vel quâ ratione id fiat rogo quæsoque quanto ocyus rescribas, ut semina in tempore habeas.

Apud nos nihil novi. Ego paro iter Scanicum, sed linguâ Suecicâ.

Dissertatio de Splachno a D<sup>no</sup> Montin; seu de musco Norvegico, umbraculo ruberrimo et luteo, impressa est.\*

Diss. aliam imprimò de seminibus muscorum detectis.† Capitula muscorum esse

\* *Dissertatio Botanica sistens Splachnum, quam Præsid. C. Linnæo publicæ Censuræ modeste subjicit Laur. MONTIN. 1750.* Exemplar a Linnæo missum lineas quatuor manu ipsius scriptas in titulo exhibet: "Sisto muscum vilem, omnium maxime singularem, inter plantas detectas rarissimum, ut in manus perveniat VESTRATIS, qui habenas regit Botanices." C. Linnæus. R. Ac. correspond.

† *Semina Muscorum detecta*, resp. P. J. Bergius. Upsaliæ. 1750. Et in Amœn. Acad. Vol. II. — Dum urnam muscorum antheræ phanerogamarum assimilat Linnæus, non plane quidem abhorret a vero; nam harum analogiam recentiores, monente Cl. H. Mohl, agnoverunt, sed alio argumento innixi, sporarum scilicet intra cellulas matrices quaternatim, pollinis granorum instar, nascentium genesi: quæ Linnæum latebat